

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0386

0384

0390

0380

0395

0375

0435

0335


0485

0285

0885

Ende

Anfang



373

mercatorum valvae et coquinae et macella erant clausa. Cujus cum rationem quaereremus, responsum est nobis, quod quamdiu Mamalucci essent in civitate, tam diu non esset forum, quia propter eorum importunitatem nemo ausus fuit sua publicare. Accedunt enim et quidquid placet hoc rapiunt et sine solutione tollunt, nec est, qui eis audeat contradicere. Retinebant etiam Gazarienses bestias suas in dominibus, equos, asinos, vaccas, oves, capras, nec ad pastum extra ire permittebant, quia per armatos illos fuissent ablatae. Idcirco illo die nihil (17a) poteramus procurare.

Eodem die venerunt in curiam nostram domicellae Sarracena cum pedissequis suis, velatis vultibus secundum morem eorum, et cupiebant nos videre. Exivimus ergo de tentoriis et tabernaculis nostris ad conspectum earum et colloquebantur sarracenicae et ridebant. Porro nos non potuimus vultus earum videre propter velamina et per interpretem petivimus eas, ut depositis velamentis permitterent nos etiam earum vultus intueri. Hoc cum audivissent, valde ridebant cum cachianis et pedissequis imperabant vela levare. Quae cum levarent, apparebant vultus earum denigratae, sicut carbones, quia erant Aethiopissae. Quod dum vidissemus, cum industria fecimus, ac si territi essemus propter nigredinem et eas abominaremur, et petivimus, ut et dominae vela levarent. Et ita fecerunt, et fuerunt albae et formosae dominae, verecundae et reverentiales. Multa talia experti sumus in Gaza, quaedam enim juvenulae Aethiopissae frequenter curiam nostram intrabant et sine verecundia procitabant; de quibus tantum scripsisse nimium est. Multi Aethiopes utriusque sexus terram sanctam inhabitant, liberi et sclavi.

#### Emtio necessariorum.

Quinta die mane ante lucem recesserunt Mamalucci a Gazara, sed tamen ante meridiem non aperiebantur pategae, nec forum venalium rerum erat, quia fuit sexta feria, quae semper ante meridiem est Sarracenis celebris. Post prandium autem accepi a sociis meis XVIII ducatos, et cum milite domino Petro Velsch sic in albo habitu Ordinis mei cruce signato discurremus per vicos et plateas, fora et pategas, et